

teatē contineri ea quæ proximo versiculo explicabatur, conditiones videlicet, quas ferre Gabaonitis constituebant principes. Habet itaque ea orationis pars duo argumenta, ad secundis militum animos pugnae cupidine aestuantēs accommodatissima, quorum alterum est à compensatione pœnæ, quam illi de Gabaonitis sumere desiderabant : debet enim servitus homini ingenio et liberali morte ipsa videri gravior; alterum ab utilitate : sunt enim in lignatorum aquatorumque officis publicæ rei commoditates maximæ. Sed duobus istis argumentis bene magnis, addunt etiam tertium, quod vel maximum atque gravissimum videri potest, ductum à contrario malo, et religione, cum dicunt : *Ne recidat in nos ira*, etc. Elsi enim summo jure, ut diximus, illud iusjurandum, quod mendaciis circumducti dederant, ratum non erat atque firmum, tamen homines simplices et antiquæ probitatis, cum illiusmodi juris acumen argutis minime expendent, sed secum ea reputarent, quæ Deus suis ipse digitis inscripserat in tabulis fœderis, nempe quod non esset daturus impunitatem ei qui suum nomen frustra usurparet, non abs irem illius vindicem metuebant.

Et profectō non potest divina majestas non lesa videri, quoties sacrosanctum illud nomen, quo Deus, pro immenso suo erga nos amore, quadamtenus se patefacere nobis dignatur, vel ad promissorum nostrorum sponsiones temerè adhibuimus, vel alioqui leviter in rebus nihili et absque justâ veneratione usurpavimus. Quare nos quoque, cum principibus cœtis animum inducamus, quidquid tanto sponsore promissimus, etiamsi circumventos esse nos intelligamus, illud tamen præstare atque ratum facere. Et si quod inde nobis damnū evenerit, hoc aliis potius honestis rationibus sarcire, quàm fallendæ fidei causam ullam querere. De illis promissis loquor, quæ cum lege Dei non pugnent, eoque inoffenso præstari possint. Non lubet hic in nostri seculi mores multis verbis invehi, quo mortalium cupidines, ex carne indomitâ et effrenatâ ortæ, afflatu Salanzæ excitatæ atque inflammatæ voluptatum denique usum irritatæ, pro causis justissimis habentur, fidem conceptis verbis, et mente sanâ Deo ipsi datam, facillimè frangendi. Sumus enim nunc ita moderatè ut ferè cum corporis adversus animum causa disceptatur, non rationem utriusque dominam feramus iudicem, sed quam ipsa caro pronuntiat sententiam, eam obvius amplectamur iudicis, probemus, sequamur, atque

ad eam firmandam, Dei etiam sacra verba mirandis interpretationibus extorqueamus. Quid enim, proh! Deum immortalem, auditum est unquam Sardanapali acuminē scilicet magis dignum, quàm sic argumentari, sic colligere, sic statuere: Lex jubet neminem interficere, et Christus dixit, satis esse cuique diei suam ærumnam; non sunt ergo observanda jejunia, quæ etiam votis nuncupatis, ipsi nobis constitimus. Rursus Paulus: semel pronuntiavit, satius esse connubio jungi quàm uri libidine; apage ergo vitam istam coelibem, quam Deo vovisti, postquam saturum te, ne dicam ebrium etiam, tua caro titillat voluptate. Sed pudet profectō levissimæ vanitatis, ad quam viri alioqui docti sunt delapsi, dum undique flagitorum suorum patrocinia querunt.

VERB. 21. — DICERANT, INQUAM, PRINCIPES AD ILLOS: VIVANT, ET SINT CÆSORES, etc. Versiculus iste in alias atque alias sententias potest interpretari, propterea quod ipsa verborum structura non satis est explicata. Nos quæ simplicissima nobis visa est, eam expressimus. Neque enim ullis verbis, tanquam præteritis, quod scriptum est, supplevimus. Litteræ *vun* duntaxat, quæ est in verbo, *וַיִּוּ*, quamvis vocalem *patah* habeat, non eam vim attribuimus, ut futurum tempus in præteritum mutaret. Sed hoc minime insolenter fecisse videmur. Nam etiam alibi, sic usurpatur, et assentitur hoc nobis tum Latinus, tum Chaldaeus in præsentem loco. At R. David Kimhi, qui litteram *vau* ex futuro fecisse præteritum putat, curtam esse orationem ait, suggeritque post verbum *vivant*, hæc omnia verba: *Et sint lignatores et aquatores totius cœtis*, atque deinceps sequi illud existimat: *Et fuerint cæsores lignorum et haustores aquarum*, etc.; atque hunc sensum expresserunt etiam septuag. Interpretes, ut certè à Syro lecti sunt. Habent enim illi ad hunc modum: *Vivent, et erunt lignatores et aquatores universo cœtu. Et facti sunt lignatores et aquatores universo cœtu, sicut dixerant ipsis principes*. Atqui intempestivum erat hic dicere: *Fuerunt*, sive facti sunt lignatores et aquatores, etc. Tum enim demùm fiunt, cum imperator sententiam pronuntiaverit, ut audierimus. Quare causam non video, cur nobis desistentium sententiâ illâ nostrâ sit. Nam illam verborum complexionem quæ in extremo versu posita est, וַיִּוּ וְזָרָו לָהֶם וְזָרָו לָהֶם וְזָרָו לָהֶם nisi ad eam, consultationem referas, quâ principes inter se deliberaverant, quod possent eum iusjurandum tueri, ut est à nobis interpretata, prorsus su-

pervacanea certè videbitur. Et pronomen illud, *וַיִּוּ* pro, inter se, aut apud se ipsos, vel se-cum, hoc est, *abstrahis*, atque, quod grammatici dicunt, *reciproce*, positum alibi quoque esse certum est, ut apud Ecclesiasten, cum is ait cap. 5, v. 18, quod *ipsi sint bestie sibi ipsi*. Neque opus est pluribus exemplis in re aperta. Nam si, ipsos, accipias de Gabaonitis, necesse est, ut dicas, principes cum Gabaonitis seorsim de durâ illâ servitute egisse, priusquam eâ ad ipsos uteretur imperator objurgatione, quæ proximo versu dicitur, quod non est quidem absurdum planè, sed profectō incertum. Quapropter Latinus hanc clausulam ad proximum versiculum transtulit. Et hic dictionem illam, *וְזָרָו*, non similitudinem, sed tempus significare, atque pronomen, non Gabaonitas, sed Israelitarum milites demonstrare censuit, com-modo ille quidem sensu, sed interpunctioni, quæ nunc est in Hebræorum libris, non satis congruente. Sunt etiam qui sic interpretentur, ut assensionis et approbationis militum, qui ante fremuerant, det significationem. Sed certè nimis trunca atque imminuta fuerit illa oratio. Et dinoscere hoc est potius quam interpretari.

VERB. 22, 23. — VOCAVIT ERGO ILLOS JOSUA, ET LOCUTUS EST AD IPSOS, etc. Probabile est, quæ adhuc dicta sunt, ea ad Israelitarum inter ipsos pertinere deliberationem, neque quiddam cum Gabaonitis actum adhuc esse. Sed quæ de communi principum consilio, atque etiam populi assensione sunt constituta, nunc demùm ab imperatore coram istis reis evocatis edici. Cæterum an illi deliberationi Josua interfuerit, et in castris apud Gabaonitas factis ista edixerit, an verò quæ à tribuni cæterisque præfectis apud milites acta deliberataque fuerant, ea sint deinde ad ipsam relata, et evocati Gabaonitæ ad Galgalā non usquequaque certum esse diximus supra. Quanquam simul adfuisse apud Gabaonitas imperatorem, et cupidos pugnandi milites eum cohibuisse, dici videatur versiculo 26. Verùm hoc mox quale sit exponetur. Sed enim cum interrogatione aggreditur Gabaonitas, inquit: *Cur nos decepistis?* mirificè accusationem, per se alioqui gravissimam, auget. Maxima enim vis est in illiusmodi interrogationibus, atque acerbitas. Quanquam autem docti et falsi eos aperte vincat, ob quæ peccata, rescindi factum fœdus, atque irritum fieri jure posset, tamen, quam dixi prisorum illorum fuisse hominum religionem, præstare datam fidem, quibus fas

est rationibus. Pergit, inquit: *Jam ergo maledicti estis*, etc. Diximus ante, et iterùm dicturi sumus, nullâ prorsus conditione Chananzæ tolerari ab Israelitis debuisse, nisi religionem puram, cultumque sacrum susceperent, cui ea regio peculiariter à Deo dicata fuit, quippe in quâ desideratissimum ab omnibus seculis mysterium olim esset perlicendum celebrandumque, quo cœlum ipsum mortalibus recluderet Dei Filius æternus, ab æterno Patre in mundum missus. Igitur imperator Josua cum religio senata, rationes inveniunt, quibus et suum iusjurandum conservent, neque tamen sacram legem violent, atque à majorum suorum superstitionibus et posthac illi desistant, verumque Deum colant, inprimis statuunt. Deinde haud ignari veteris etiam Noæ vaticinii, quo ille Chananzæ fratris ipsorum mancipaverat in servitutem, ipsis servitutem quoque imponunt. Non fit quidem in sacris verbis aperte religionis mentio, idque idèo, ut arbitrarum nonnulli, quia Gabaonitæ ultrò suas superstitiones cum Israelitarum religione commutassent; verùm, ut id secus esse putemus, quis non intelligit, eos à fœdo demoniorum cultu debuisse alienissimos esse, qui in ædè Dei optimi maximi officio atque muneri alieni præssent? Satis ergo de religione depictus videri potest Josua, cum Dei sui ædom nominat, in quâ illi perpetuam debeant servitutem servire.

Doctores hebræi, tractationis de Mulieribus capite octavo, statuunt, istam Josuæ maledictionem, quâ utitur adversus Gabaonitas, excludere ipsos prorsus in perpetuum ab Israelitarum affinitate atque connubiis. Id an verum sit, ipsi videntur, nullo certè satis firmo argumento conficiunt. Cæterùm calouni et Iixarum, sive lignatorum et aquatorum deterrimam fuisse conditionem, et locum ultimum in populo, cum ex ipsâ regionis naturâ, in quâ et lignorum, et aquarum magna erat penuria, tum ex Mosis verbis, quibus in Denteronomio c. 29, v. 11, usus est, satis certum est. Israelitas enim alloquens: *Vos, inquit, statis hodiè omnes coram Domino Deo vestro, principes vestri, tribuni vestri, seniores vestri, atque apparitores vestri, omnes denique Israelitæ, parvuli vestri, uxores vestre, et advena vester, qui in castris tuis est, ab lignatore vestro, usque ad aquatorem vestrum, ut transeas in fœdus Domini, atque in sacramentum ipsis, quod Dominus Deus tuus ferit tecum hodiè*, etc. Ordine enim decurrit ille à summis ad infimos, atque hos facit lignatores et aqua-

tores, ubi illud insuper est animadvertendum, etiam istos cum cæteris ordinibus fœderatos Deo esse debuisse, id quod nos de Gabaonitis quoque dicimus.

At enim mirabitur fortassis in eo aliquis, quod hic Josua Gabaonitas facit calones et lixis ædis sacræ, cum hujus ante nulla fuerit in liberatione mentio, sed universi cœtus. — Verum credibile est, in primis sacræ domus rationem habuisse principes, viros sanctissimos, cum de istâ re inter se consultarent. Neque enim cœtui illos servire potuisse videtur, postquam sorte divisâ terrâ, distractus ad suas quisque possessiones esset populus universus, sed solis tum Levitis, hoc est, sacrorum in templo administris addictos mansisse, quod ab Esdrâ quoque literis proditum est. Sed cum istam orationem illi adhiberent ad tranquillandos tumultuantis populi animos, ut diximus, prudenter eam servitutum ostentabant verbis, quæ ipsi esset populo futura utilis et commoda. Erat enim hoc magis populare, quam si officium in sacrâ æde faciendum prædicassent. Et existimat Nehemmus, etiam tum illos, cuius est vulgo Israelitæ, aquatores lignatoresque esse debuisse, cum distributæ fuissent possessiones, qui modò ipsos de eo officio interpellasset, quanquam non planè gratis, ut ipse censet, sed exiguâ mercede conductos, quâ victum sibi possent parare. Nam qui sacræ serviebant aræ, si cum Levitis alebantur: sed enim ego probabilius esse dixerim, nunquam Gabaonitas singulis Israelitis servitutum servire debuisse, sed universo duntaxat cœtui, hoc est, rei communis, propriumque illorum munus fuisse, aquam et ligna Levitis, in templo atque in sacrificiis et epulis publicis, subministrare. Hoc enim profectò erat operam dare universo cœtui. Quanquam nolim hoc defendere pertinaciùs, si quis contra pugnet.

VERS. 24, 25. — ET RESPONDERENT JOSUE, DIXERUNTQUE: QUIA FAMA PERLATUM, ETC. Ex isto Gabaonitarum responso confici videtur, fidem ipsos adjunxisse iis quæ et de mirandis factis, et de promissis Dei communi famâ sermonæque audierant; porro ex hæc quælibet fide procreatum esse in ipsorum animis timorem, non illum quidem planè pium, obsequiosum, et cum justâ reverentiâ conjunctum fortassè, qualis est bonorum filiorum adversus suos parentes, et qualem in Rahab perspicuè videre erat, sed servilem potiùs, et tamen qui ipsis viam ad salutem aperuerit, ac veluti manu, à majorum superstitionibus ad fidem sanctam et

puram religionem averterit. Solet enim ille talis timor mentes hominum iis informare cogitationibus, quibus paulatim in spem venie ducantur, quâ spe deinde erecti fultique rationem vite melioris incedam meditari, ac demùm charitatem ipsam exercere, neque jam servili metu Deum timere, sed ut clementissimum patrem piè revereri incipiunt. Itaque fit ut servilis ille timor se tandem ipse pellat, quod divus Augustinus scientissimè, per collationes, his ferè verbis, ostendit, cum in Joannis primam Epistolam scriberet: « Si nullus, inquit, est timor, non est quæ charitas intret. Sicut videmus per setam introduci filium, dum sinitur aliquid, seta quidem intrat prior, sed nisi rursùm exeat, non succedit linum, et sic timor occupat mentem prior, verum non est ibi manet, quia ideò intravit ut introduceret charitatem. » Et post pauca, alterâ utitur non minùs sciã similitudine à chirurgo ulcus secante, scalpelloque abradente. Sed hæc habentibus.

Est autem ipsum responsum universum ad gratiam misericordiamque mirâ arte compositum; mirifica enim vis in singulis penè verbis inest, dum se servos vocant, dum Jehovah, hoc est, verum Deum, prædicant, eumque peculiariter Josuæ Deum appellant, denique Moisis auctoritatem laudant, et hunc quoque à Dei familiaritate commendant, ac tandem eum ad ipsum crimen ventum est, nullo id nomine proferant, tanquam ejus recordationem detestentur, sed, hanc, inquit, rem egimus; postremò, cum se totos in arbitratum imperatori dedunt. Cæterùm verbi גָּמַל geminatio, ad ostendam nuntiorum frequentiam, famæque certitudinem spectat. Eaque re ut Gabaonite meta se justiore percussos, tantoque magis ad dolum adhibendum incitatos esse ostendunt, ita luculentissimè arguitur aliorum Chananeorum stupor, quo divinitus ipsos fuisse occatos diximus. Refellit etiam hoc verbo doctorum hebræorum factatio, qui, ut dixi, gloriosè ostentant legis scriptioem in lapidibus apud Hehal, quam Septuaginta linguis factam ferunt, ut ne qua gens posset ignorationem excusare, et ex eâ Gabaonitas quoque ista Dei jussa didicisse absque omni dubitatione dicunt. Porro terræ vocabulum, hic de solâ Chananaè est accipiendum. Neque enim de universo terrarum orbe agitur. Itaque septuag. Interpretes ejus rei patefaciendæ gratiâ, addiderunt de suo, demonstrationis pronomen, אֶת־הָאֶרֶץ, terram istam, omiseruntque notam universalitatis, em-

nem. Postremò illud est hoc loco observandum, Gabaonitas ipso jurejurando, quod ab Israelitis per dolum acceperant, minimè niti ad salutem conservandam. Neque enim tam erant rerum imperiti, ut vitium non agnoscerent. Interim tamen boni æquique admonere imperatorem videntur, fiduciâ quâdam prisca illius, quam dicebamus, probitatis, atque erga jusjurandum religionis, quasi dicant: « Fatemur quidem peccatum à nobis esse, sed præ magno metu. Verum quando Deum salutis nostræ sponso-rem fecistis, bonam spem habemus, vos peccati quidem nostri penas æquas petitu-ros, quæ etiam libenter solvemus, cæterùm fœdus sic sancitum conservatu-ros. »

VERS. 26, 27. — FECIT ERGO ILLIS SIC, LIBERAVITQUE IPSOS A MANU, ETC. Sic, uti dixerat videlicet, verbis superioribus: Neque deerit à vobis servus, etc. Idque insequente versu explicatum est, cum dicitur: Constituitque ipsos Josua eo die cæsares lignorum, etc. Commodè tamen particula ׀ accipitur tanquam nomen, significans, id quod rectum, honestum, et ipsâ æquitate firmum est. Nam, ut diximus, scelus admisissent Israelitæ, si Gabaonitas interemis-sent, cum salvâ religione possent suum jusjurandum, quod illis dederant, commodis ratio-nibus tueri. Porro lignatores aquatoresque isti sunt posteris temporibus, tanquam peculiari appellatione dicti נַתְחִיזִי Nathinæi, à verbo נָחַץ, quasi deditus dicas, et cœtui atque aræ Dei mancipatos.

At enim objicias, Nathinæos à Davide primùm esse institutos. Id enim apud Esdram esse scriptum. Non ergo Gabaonitas fuisse Nathinæos, quippe quos Josua hic muneri illi præponit, et in eam servitutum dedit. — Respondet ad hoc R. Salomon, Davidem fuisse quidem novæ illius appellationis auctorem, ut pro Gabaonitis dicerentur, Nathinæi, at non officii, aut servitutis. Mihi verò videtur esse verisimile, Esdram ideò Davidis, tanquam auctoris, mentionem facere, quia hic pleræque omnium servitutorum et munerum rationes filio suo Salomoni, sub extremum vite actum, certo ordine modoque præscripserat, quæ observari atque effici in sacrâ æde, postquam ea foret exædificata, voluisset, ut est in Paralipomenis scrip-tum, quamvis non solum noster hic Josua de Gabaonitis, quo debent ipsi munere fungi, constituisset, verum etiam ipse Moses nonnullas leges de aliis quoque officiis condi-disset.

Porro illæ verborum circumscriptiones,

usque ad præsentem diem, et: In eo loco quem esset electurus, non definiunt certum tempus, certumque locum præstitutum servituti Gabaonitarum. Sed prior significat, etiam tum, quando ista historia conscribatur, durasse illorum hanc muneri functionem; posterior verò, non de ultimâ, atque perpetuâ, ut vocatur in sacris literis, electione modò loquitur, quâ tandem electus est locus in Jerusalem, sed æquè de aliis electionibus, quibus diversas sta-tiones suo sacrario aliis atque aliis temporibus ante constructum Salomonis templum, Deus delegit. Quamvis enim, ut divi Augustini ver-bis utar, ubique sit Deus, et nullo contineatur loco, qui condidit omnia, quique cœlum implet et terram, eumque à veris adoratoribus oporteat adorari spiritui et veritate, tamen dedicata sibi esse voluisse semper certa quædam loca, in quibus, quasi uno ore, à piis hominibus co-leretur, nemo qui sacra historia monumenta aliquando inspexit, negare potest. Quâ in re existimandum est illum imbecillibus sensis nostris benignè consulere voluisse. Adfert enim religionem pietatemque majorem animis nostris ea opinio, dum Deum nobis veluti presentem et ante oculos positum, hoc, illo loco ejus cul-tui dicato adoramus, ibique reverè divinis et ipsi operam damus, et dantes simul alios in-tuemur, quàm si mens nostra per istam rerum universitatem, quasi quæ tota illius templum atque ædes sit, ut sanè est, vagetur cogitatione. Hujusmodi enim cogitatione vix unquam se satis colligere, atque ad illius admirationem et amorem intendere totam illa potest. Sed fuit ista res multis verbis à divo Augustino tra-ctata Epistolâ 157, quare de câ nunc hæcenus.

Jam verò explicatis à nobis utcumque sacris verbis, superest ut quæ passim hoc capite et aliis insuper locis, de Chananeæ gentis exci-dio atque servitute scripta exstant, semel, quoad ejus fieri à nobis potest paucis, ob oculos ponamus. Nemo, opinor, ignorat universi gene-ris humani parentem alterum Noe, sive dirâ devotione, ut videtur, sive vaticinatione ex areanis Dei consiliis profectâ, ut ego existimo, detestatum esse filii sui Cham progeniem eam, quæ ex Chanaan esset nascitura. Ea autem fuit, quæ loca ista trans Jordanem Israelitis à Deo hereditatis loco assignata occupavit, quam gentem sacra historia sæpè Chananeos, interdum Amorrhæos, nonnunquam diversis septem nomi-nibus, aliquando pluribus, aliquando pau-cioribus vocat. Cum ergo Israelitæ prognati ex

Sem essent, cujus olim nepotibus illos esse servituros Noe prædixerat, consentaneum profectò fuit, ut ne prorsus omnes Chanaanæi ab his interfectione excinderentur. Nam si armatos in bello, inermes, supplicesque in pace occidissent, quibus tandem potuissent pro servis uti? Conficitur ergo leges illas, quæ aliis atque aliis locis scriptæ, et animis Israelitarum veluti inculcæ, jubent illam nationem interfectione bello funditis delere, neque illi aut ætati, aut sexui parcere, planè aliquà esse æquitate temperandas, quæ æquitas qualis sit, ipsa nos ratio divinæ illius constitutionis optimè doceat. Est enim ratio, ut jurisperiti aiunt, legis anima. Erat autem in sanguinarâ illâ lege instituendâ hoc Dei propositum, quod ipse patefecit, ne sacer populus, cui loca ista pro habitatione fuerant data, à purâ religione abduceretur ad istarum gentium superstitiones, si simul habitarent. Quis ergo non intelligat, ubi nullum esset à tali contagio periculum, ibi neque illi sanctionis locum esse? Ego verò jam de consilio et voluntate Dei loquor illius legis sciendæ; cæteroque certissimum est, fuisse Deo justissimas jandudum causas, etiamsi nusquam gentium vivissent Israelitæ, perdati prorsus omnem illam Chanaanis progeniem, cujus nefaria scelerata per aliquot jam secula patienter tolerat. Quæ autem potuit esse mœnenda causa, ut ab illis Chanaanæis, qui majorum suorum legem cum purâ Israelitarum religione commutaverant, et sacrorum cæterorumque juris communione se Israelitis junxerant, ac planè adscriptiitii Israelitæ facti fuerant? Non jam hoc contendo, Chananæos, si Israelitarum ritus amplecti fuissent parati, continuò cæterorum advenarum jure admitti debuisse. Firmum enim ac fixum esse oportuit illud Dei opertum, quod Noe, ut dixi, olim protulerat, cum ipsos servos servorum futuros esse fratribus suis diceret, quibus verbis vili omnino servitus insignificata esse videtur, quamquam fortassis non omnium vilissima, qualis erat lignatorum et aquatorum, quam suo etiam dolo promeruerit Gabaonitæ. Nam si illi, qui longinqua incolebant loca, ut pax ipsis dari posset, et vectigales, et servi fieri debebant, quis putet meliorem conditione devotos istos fuisse? Sic enim in Deuteronomio 20, 11, scriptum est: *Si pacificis verbis tibi responderit, aperueritque tibi, civitas videlicet, omnis populus qui in eâ fuerit repertus, erunt tibi vectigales, et servient tibi.* Scio equidem sic sentire plerosque Judæos, ut existimant tributum hic ad externos pertinere, at servitu-

tem ad solos Chananæos. Nam, quod supra quoque dixi, nisi fallor, omnes ista verba accipiunt, tanquam promiscuè et communiter de Chanaanæis et de longinquis dicta. Sed id jam non laboro, modò ut confectum satis à me putet, indigenas, hoc est, Chananæos, nisi in servitutem mancipatos, conservari non potuisse.

Sed ex hæc meâ disputatione forsitan occurrat illud: Si Chanaanæis, nisi servis, non potuerunt parcere Israelitæ, Rahabam quoque servam fuisse, quod nusquam memoriæ profiditum est. Atqui non sunt omnia litteris consignata, quæ in prisca illâ gente acciderunt. Scio equidem Judæos illam à Chananæorum numero eximere, et alienigenam fuisse dicere, in quo oscitantium Talmudicorum dictata reddunt modò, non etiam eorum quæ dicunt causas ullas afferunt. Verumtamen si Rahabam libertatè tenuisse mavis omnino existimare, quid vetat, cur minùs dicamus, privilegium fuisse, quod illam servitio omni exemit, quæ animo apertissimo, atque ultrò, atque priusquam in Chananæam Israelitæ trajecissent, atque cum propriæ etiam vitæ præsentissimo periculo fidem suam et Deo, et ejus populo probaverat? Aut tum demùm hæc lege Israelitis agere debuisse, cum in Chananæam trajecissent, quod capite septimo Deuteronomii videtur esse scriptum, Rahabam autem sibi vitam fuisse despicatamante, ut secundo capite hujus commentarii vidimus. Sed hoc hæctenus.

Cæterum interpretandam explicandamque esse illam de Chananæorum exitio legem eâ, quam modò diximus, æquitate, illud insuper argumento est, quod post dicitur, idè omnes Chananæorum urbes esse excisas, præter Gabaonitarum, quia nullæ aliæ pacem cum Israelitis fecissent. Item illud, quod Regum memorat historia, Salomonem sat habuisse, reliquias Chananæorum redegisse in servitutem, cæteroque non occidisse. Quis enim illum talem, tamque potentem regem, et omnium quo tempore ob egregiam pietatem Deo erat familiarissimus, atque duobus regibus, Tyrio fraternâ amicitia, Ægyptio etiam affinitatis arcuissimo vinculo conjunctus, ut quas cum reliquis finitimis gentibus, Syris, Idumæis, Ammonitis, Moabitibus, habebat necessitudines, præteream, quis, inquam, opinetur cum regem, et pietate et opibus tum suis, tum amicorum florentem maximè, reliquias gentis Chananææ aut debellare non potuisse, quas tamen sibi vectigales et servos officiebat, aut noluisse si severam il-

lam Dei legem id jubere intelligebat? Denique audiemus à Josuâ nihil non esse factum eorum, quæ cum facere Deus jusserat per Moysen. Non ergo adversus Dei jussa vel Rahabæ, vel Gabaonitis pepercit. Sed hoc jam satis multis egisse videmus. Ad illud verò, cur exteros se simulârit Gabaonitæ, si indigenis licebat esse tutis, qui servitutem servire et puram religionem amplecti vellent, tum cur Israelitæ negaverint se pacem dare posse domesticis, ac deinde patefactâ fraude, vix ab armis abstinuerint, ad illa, inquam, ante est à nobis responsum, ut spero, satis; tamen ut paucis repetam, mirum non est, Gabaonitis, hominibus barbaris, et misericordiæ veri Dei inscisi, illam æquorem legis interpretationem in mentem non venisse. Nam quæ fuerit illorum de consilio Dei opinatio, ipsi apud Josuam deelarant. Neque verò etiam satis firmum illud est, quòd vero Deo nomen dare parati venerint illi, quamvis ita Augustinus, Liranus, Nehmannus, sentiant. Et servorum nomen, quod suæ fraudi opponunt, per submissæ potius appellationis causam, ut fit, atque ad gratiam, quam quòd se illis in servitutem conceptis verbis dederent, usurpasse videri possunt. Porro quod Israelitæ sibi fas esse negant cum indigenis pacisci, id est de iis conditionibus accipiendum, quibus exteri, quales se illi esse simulabant, potuere admitti. Ad hoc, non nefas est existimare, ne Israelitis quidem illis venisse in mentem illam, quam dixi æquorem legis interpretationem, sed tum demùm ubi de tuendo suo jurejurando disceptare inter se cecepissent. Magnâ enim de causâ principes, ut suum jusjurandum tueri possent, fuere solliciti, ne videlicet dum alienam perfidiam ipsi punitum venissent, sua ipsorum fides apud omnes fieret dubia, et quasi præ crudelitate sacra omnia susque deque habentes suspecti omnibus essent, qui justitiam veramque pietatem supra omnes mortales colere, solique verum Deum scire volebant videri.

Equidem non sum nescius, divum Augustinum eam habere opinionem, ut censeat, Israelitas prævaricatos esse adversus illam, quam nunc tracto, legem, de Chananæis perdendis universè latam, potius quam ut jusjurandum datum fallere in animum suum inducerent. Sed ille rigidior daxe istius legis est interpret, quam pro meo sensu. Scio equidem universè dictum esse nulli animæ illarum septem nationum esse parcendum. Sed idè esse factum interpretor, quòd paucissimi

essent futuri, quos consuetorum scelerum poeniteret, ut supra dixi; tamen si qui pro occulto Dei judicio respicerent, eos unâ cum cæteris pari exitio involvendos fuisse; neque ullis pacis conditionibus vel invitari, vel admitti potuisse mihi certè religio esse existimare, qui sic de aternâ Dei misericordiâ sentio, ut putem eum nullos mortales ita perpetuò addicere exitio, ut si poenitere possint, veniam tamen consequi non possint. Quam opinionem videor etiam ipsius Augustini, viri profectò divini, auctoritate posse tueri cum sit Theolog: « Qui prædestinatus non est (sic enim Theologi loquuntur) videat ut prædestinetur. » Et plenus divinis oraculis liber, quem Sapientia vocat, prodidit, idè tractum esse longius bellum Chananæicum, Dei consilio, ut paulatim puniendo locus daretur poenitentia.

Sed hic illud fortassis occurrat, perdati planè voluisse Deum gentem illam, etiamsi quos poeniteret, in hæc vitâ, cæterum ejus misericordiæ locum fuisse in alterâ. Ille enim, ut alibi à nobis est expositum, quævis mortalium jure muletare potest presentis vitæ. Verùm id non esse ita, quid ætinet contendere? cum Deo non invito servatos esse Gabaonitas in hæc vitâ, dilucidè testetur severa illa ejus vindictio, quòd Saulis stirpem cum esse persecutum, supra diximus. Ut tacem suppetias, quas proximâ narratione ferri illis jubebit. Sed jam fortassis lectori molestus sum hisce tam multis verbis. Ego tamen facere non potui, ut non prolixius pugnarem adversus eam sententiam, quam intelligebam à plurimis, non tam defendi, quam teneri. Hoc igitur modò addam, multa exstare apud veteres Judæos, cum in prioribus libris *Miseroth*, tum in vœntis commentariis, quæ vocantur, *Deuteronomiâ magnum*, atque etiam in *Tanama*, prodita de litteris publicis, quibus Josua, simul atque in terram promissam pervenisset, omnes ubique urbes, priusquam bello eas invaderet, ad pacem deditione redimendam, quibus æquum erat conditionibus, sit cohortatus. Jam verò Gabaonitas propterea indignos veniâ Israelitis visos esse, cum rescitum esset, eos esse Chananæos, quia litteris illiusmodi invitati non venissent ad depauescendum, nisi demùm ubi Halensium exitio territi etiam fuissent. Ego verò ut non plane possum ei rei de publicis litteris fidem adjungere, ita non omnino nihil esse illud, quod prisca illi, de offerendâ pace, scriptum reliquerunt, facili crediderim. Nam sanè ipsa æquitas dicit, bellum nullum nisi

denuntiatio, videri justum, estque hoc ita apud omnes gentes semper existimatum. Quin Moses ipse, Dei interpres, jubet Deut. 20, 10: *Cum ad urbem accesseris, non prius oppugnare eam, quam pacem ipsi obtuleris.* Idque Nehemans, Levi F. Gersonis, Kimhi, atque adeo universa ferè Judæorum turba, non solum de peregrinis urbibus, verum etiam de Chanaanæis accipiendum esse censent. Neque ullam gentem, præter Moabitas et Ammonitas, non esse ad pacem invitandam putant. De his enim duabus nationibus singularia exstant Dei jussa, in hanc sententiam Deut. 23, 6: *Non petes ab illis pacem, neque id quod ipsis commodum sit.* Cur autem erga istos inclementior videatur esse Deus (non est autem ille adversus ullam unquam inclemens) quam erga alios, præsertim Idumæos, qui similiter atque illi fuere ei rebelles, id verò in æterno ipsius arbitrio positum nos latet, neque hujus loci est, inquirere curiosius.

Sed dices: Quid attinebat Chananæos ad pacem cohortari et provocare, quibus semel

omnibus afferre necem Deus jusserat? — Ego verò te vicissim interrogando, clavum, quod dicitur, clavo pellam. Cur Moses, homo planè divinus, cum ei Sehonem regem dedidisset in manum Deus, et simul urbes ejus omnes non aliter atque Chananæas occupare, verbis disertis jussisset, tamen pace prius experiri ausus est oblata regi, quam armis cum invaderet, imò eas pacis condiciones proponere, quæ si acceptæ ab illo fuissent, Dei promissa rata esse non posse videbantur? Et tamen minimè tulisse Deum ægrè eam importunam, ut videbatur, Mosis humanitatem, ipse eventus rei docuit. Quanquam ad Josuam et Chananæos quod attinet, ut bellum ab illo his denuntiatum non fuerit, excusari tamen potuisse videtur, quia bellum ipse non inferret, sed Deus, cui per aliquot jam secula hi nefarii suis sceleribus primi bellum fecissent, neque adhuc longè ejus patientiâ ad meliorem mentem revocari potuissent. Sed jam in his pertractandis nimium me esse sentio.

INDEX RERUM.

SEQUITUR IN NUMEROS COMMENTARIUM.	31	Caput IX.	250
	9—19	Caput X.	257
Caput XXVI.	<i>Ibid.</i>	Caput XI.	244
Caput XXVII.	20	Caput XII.	251
Caput XXVIII.	51	Caput XIII.	260
Caput XXIX.	42	Caput XIV.	264
Caput XXX.	47	Caput XV.	271
Caput XXXI.	55	Caput XVI.	280
Caput XXXII.	66	Caput XVII.	286
Caput XXXIII.	76	Caput XVIII.	502
Caput XXXIV.	89	Caput XIX.	509
Caput XXXV.	95	Caput XX.	517
Caput XXXVI.	113	Caput XXI.	524
DOXOLOGIA DEI DICTORIS ET DOMINATORIS, EX		Caput XXII.	534
GESTIS ET EPIPHONE NUMERORUM.	119—120	Caput XXIII.	545
IN DEUTERONOMIUM COMMENTARIUM.		Caput XXIV.	555
	121—122	Caput XXV.	562
Argumentum.	<i>Ibid.</i>	Caput XXVI.	569
Caput PRIMUM.	124	Caput XXVII.	581
Caput II.	156	Caput XXVIII.	588
Caput III.	145	Caput XXIX.	405
Caput IV.	152	Caput XXX.	412
Caput V.	167	Caput XXXI.	418
Caput VI.	197	Caput XXXII.	427
Caput VII.	215	Caput XXXIII.	435
Caput VIII.	221	Caput XXXIV.	478

DOXOLOGIA DEI LEGISLATORIS ETUSQUE CONCIO EX		Commentarium.	866
DEUTERONOMIO.	489—490	Caput II (Vulgata cum gallicâ versione).	921—922
Oratio et Conclusio.	494	Translatio ex hebræo.	927—928
IN NUMEROS DISSERTATIO.	496	Commentarium.	929—930
ANIMADVERSIONES IN VERSICULOS 15-16 cap.		Caput III (Vulgata cum gallicâ versione).	967—968
21 Numerorum.	499	Translatio ex hebræo.	971—972
DISSERTATIO de Balaami prophetiis. 503—506		Commentarium.	<i>Ibid.</i>
— De Beelphegor, Chamos cæterisque Moabitum diis.	559—540	Caput IV (Vulgata cum gallicâ versione).	1005—1004
— De XLII Mansionibus aut stationibus Israelitarum.	551—552	Translatio ex hebræo.	1007—1008
— De Supplicis quorum in sacrâ Scripturâ mentio.	655—654	Commentarium.	<i>Ibid.</i>
— De Connubiis Hebræorum.	675—674	Caput V (Vulgata cum gallicâ versione).	1025—1026
— De Muliere hebræâ et de Connubiis apud Judæos recentiores.	686—690	Translatio ex hebræo.	1029—1050
— De Divitiis.	697—698	Commentarium.	1051—1052
— An veteres legislatores et philosophi è Scripturâ leges suas et moralem scientiam hauserint	747—748	Caput VI (Vulgata cum gallicâ versione).	1077—1078
— De Gigantibus.	765—764	Translatio ex hebræo.	1085—1084
— In prophetiam Moysi de prophetâ à Deo promissa.	791—792	Commentarium.	1085—1086
— De Moysi Obitu et sepulturâ.	801—802	Caput VII (Vulgata cum gallicâ versione).	1121—1122
INSTRUCTIONES ET MYSTERIA que in singulari Pentateuchi libris continentur. 811—812		Translatio ex hebræo.	1127—1128
DIVUS HIERONYMUS in universum Pentateuchum.		Commentarium.	1129—1130
MASII VITA.	841—842	Caput VIII (Vulgata cum gallicâ versione).	1171—1172
In Josuam Masii præfatio.	851—852	Translatio ex hebræo.	1177—1178
IN JOSUAM COMMENTARIUM.	861—862	Commentarium.	1179—1180
Caput PRIMUM (Vulgata cum gallicâ versione).	<i>Ibid.</i>	Caput IX (Vulgata cum gallicâ versione).	1231—1232
Translatio ex hebræo.	865—866	Translatio ex hebræo.	1227—1228
		Commentarium.	<i>Ibid.</i>

FINIS TOMI SEPTIMI.